



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Capitvlvm Vlt. A nobis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

CAPITVLVM VLT.

A nobis.

PARAPHRASIS.

Subdiaconus, qui de facto tantum (cum de iure non posset) viduam in uxorem duxit, licet verè bigamus non sit (cum matrimonium validum non fuerit) tamen quasi cuiusdam bigamiæ (quam interpretatiuam vocant) indispensabilem irregularitatem contraxisse censendus est: Non propter defectum Sacramenti (cum nulum hic matrimonij Sacramentum fuerit) sed propter prauam matrimonij contrahendi intentionem, cum opere subsequuto,

SUMMARIVM.

1. Clericus in sacris constitutus viduam in uxorem inualidè ducens, & cognoscens, perinde irregularis est censendus, ac si verè bigamus esset.
2. Si autem Virginem ducat, bigamus non censetur, irregularitatem tamen contrahit, licet dispensabilem ab Episcopo.

NOTANDVM Vn. Si Clericus in sacris constitutus viduam in uxorem inualidè ducat, & cognoscat, irregularis censeri debet, perinde ac si bigamus sit,

Sed quid? Si Clericus in sacris, vel Religiosus virginem ducat? Respondeo, Talem bigamum non censeri; nihilominus irregu-

laritatem, quamuis dispensabilem ab Episcopo contrahere, ut habetur c. sanè, 4. de cleric. coniugatis, & dixi cit. c. 6. num. 6. §. Sed quid,

CAPITVLVM VNICVM

cod. Tit. in 6.

Altercationis.

SUMMARIVM.

Bigamus priuatus est omni priuilegio clericorum, & est subiectus foro seculari. prohibetur etiam ei sub excommunicatione, ne habitum & tonsuram more clericorum deferat.

Dubitatum olim fuit, vtrum Clerici (intellige de ijs, qui in minoribus constituti sunt) si alteram uxorem ducant, vel viduam, aut corruptam, clericalibus priuilegijs gaudere possint? Aliqui enim affirmabant, (adentes Episcopum cum talibus dispensare posse, vt supra dixi c. 2.) Sed contrarium hic definit Gregor. X. in Concil. Lugdun. Eiusmodi bigamos omni priuilegio clericorum, priuatos esse, & iurisdictioni fori secularis subiectos, quauis consuetudine non obstante. Eisdem quoque sub excommunicationis inferendæ pœna prohibetur, ne habitum & tonsuram clericorum more deferant. Idem quoque decretum olim fuerat à Siricio Papa in c. quisquis, d. 84. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 3.

TITVLVS XXII.

DE CLERICIS PEREGRINIS.

CAPITVLVM I.

Tua.

SUMMARIVM.

1. Iure antiquo clerici transmarini, & alij peregrini non erant suscipiendi, nisi quinque Episcoporum chirographis si-

dem faciant de sua ordinatione.

2. Nouo iure Trident. sine commendatitijs suis Ordinarij literis à nullo Episcopo ad diuina celebranda, & Sacramenta administranda admitti debent.
3. Quomodo differant literæ dimissoria, testimoniales, commendatitiæ, & formata.

Bbbb

4. Clq.